

Angelus Johann Daniel Aepinus    Georg Heinrich Schuckmann

## **Imp. Caroli M. Merita In Rem Sacram : Publica Disputazione**

Buezzovii: Fritzius, 1762

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829996699>

Druck    Freier  Zugang





Via Proprietas sive Dupl.

71

572

Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labrum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia octingenfia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gazza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*  
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. uniuersali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte consistendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis*
- N. 14. *Item Regentius male regens et fanaticus reditum ad Populum frustra suadet.*
- N. 15. Rufius *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zaachre *de lege aequilibrata in natura obseruata etc.*
- N. 17. Schmid Verſio Alexandrina optimum interpretationis librorum  
*sanctorum praedictorum*
- N. 18. Richter *de theologo Dei Romine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Caluini et Figurorum in causa  
 Haereticorum*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-31.*
- N. 22. Hoerſhelmau *de diuina punctorum vocalium et aereentium  
 codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per exegesis dicte  
 I Cor. II. 4. 5.*
- N. 24. *Item de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Erkenntnisgrund des Unsterblichseins des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum  
 fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Büttowien-  
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.  
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis  
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.  
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.  
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Büttowien-  
 N. 34. Academiae Fredericanae Büttowienfis Rector et senatus acade-  
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.  
 N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.  
 N. 36. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\mu\upsilon\upsilon$   
 N. 37. Rector et senatus academicus Büttowienfis etc.  
 N. 38. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$   
 N. 39. Rector et senatus academicus Büttowienfis etc.  
 N. 40. Marrius de jurisprudentia diuina ex codice sanctissimo  
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.  
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.  
 N. 43. Chrylander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis  
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum  
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.  
 N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.  
 N. 47. Ministerii quae hincenburg Pastoralis scripturae etc.  
 N. 48. Rector vniuersitatis ad solemnia paschalia etc.  
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.  
 N. 50. Becker creationis vniuersi gloria filio Dei etc.  
 N. 51. Quistorp de  $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$  (Cor. 1. 5)  
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.  
 N. 53. Detharding de cura infantum recentium penes etc.  
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

Q. D. B. V.

**IMP. CAROLI M.**  
**MERITA IN REM SACRAM,**

PUBLICA DISPUTATIONE,

PRAESIDE

**M. ANGEL. JO. DAN. AEPINO,**

PHIL. PROF. P. O. REGIAE SOCIET. SCIENTIARUM GRYPHICAE,  
ET ELECTORAL. MOGUNTINAE SCIENTIAR. UTILIUM  
ACADEMIAE COLLEGA ORDINARIO,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
BUEZZOUIENSI,

D. VIII. KAL. DECEMBRIS MDCCCCLXII.


*H. L. Q. C.*

EXPOSITA,

AUCTORE

**GEORGIO HENRICO SCHUCKMANNO,**

GÜSTROV. MECL. S. TH. ET PHIL. CULT.



*BUEZZOUII,*

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

G.D.B.V.

IMP. CAROLI M.

MERITA IN REM SACRAM.

PUBLICA DISSENTATIONE

PRÆSIDE

M. ANGEL. JO. DAN. ABBINO,

Phil. Prae. P. O. Rector. Societ. Secretarius. Censurarius.  
et Historiae Sacrae Secretarius. Librarius.  
Academiae Classicae Ordinarius.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

FRIBURGENSIS,

D. VII. KAL. DECEMBRIS MDCCCLIII.

M. F. J. C.

AVGUSTI

AUGUSTI

GEORGIO LUDWIGO SCHICKMANNNO,

Cons. Prae. S. Th. Th. Prae.

Ordinarius et Professor Ordinarius

FRIBURGENSIS

Phil. Prae. S. Th. Th. Prae.  
et Historiae Sacrae Secretarius. Librarius.  
Academiae Classicae Ordinarius.

A Monsieur,  
Monsieur CHARLES THIERRI  
de SIBRANDT,

Lieutenant-Colonel des Troupes de la Ville  
Imperiale de Lubec.

MONSIEUR,

Ce premier effai de mes etudes, que je fais  
aujourd'hui paroître aux yeux du Public, me fait  
en même-tems ressouvenir des bienfaits, par  
lesquels VOUS m'avez si genereusement secouru &  
soutenu dans la carrière des sciences, où j'ai commencé  
à courir.

Penetré de la plus vive reconnoissance de VOS  
bontés, j'ose, MONSIEUR, VOUS le temoigner  
publiquement, en VOUS dediant un ouvrage, de la  
production duquel je VOUS suis entièrement redevable.

Daignez donc, MONSIEUR, recevoir le présent,  
que je VOUS offre, avec la même faveur, dont il VOUS  
a plu de m'honorer jusqu'ici, & dont je fais ici l'occasion  
de VOUS demander très-humblement la continuation.

Com-



Comme mon ambition unique sera deormais  
celle de la meriter par tous les efforts, dont je serai  
capable, j'y joindrai les voeux les plus zelés pour VÔTRE  
prosperité & la durée la plus longue de VÔTRE fanté &  
de VÔTRE vie.

C'est avec ces sentimens, & avec un respect  
inviolable, que je suis & serai toujourns,

MONSIEUR,

à Buezzau  
le 24. Novembre,  
1762.

VÔTRE très-humble, très-obeissant,  
& très-obligé Serviteur,  
G. H. SCHUCKMANN.



I. N. D.

§. I.



CAROLUS ille, quo Germani Imperatore, Franci Rege usi sunt, in quibuscumque suis actionibus eum se praebuit, quem cognomen MAGNI iure meritoque apud omnes promeritum iudicare debemus. Vel enim ipsius regnandi artes examinemus, vel amorem erga litteras litteratosque consideremus, vel animum pietatis studiosum contemplemur, vel merita in rem, quae propter obiecta appellatur sacra, rite perpendamus, semper est, quod eum summis laudibus, nos autem summa admiratione adficiat. Quum primum, post PIPINI Parentis obitum, una cum CAROLOMANNO Fratre, summa rerum potiretur, omne studium, industriam, diligentiam, operam, curam denique omnem in eo collocavit, ut deperdita quaeuis in statum redigeret meliorem, & ci-

A

vi-

vibus suis leges, ipsorum felicitati, & rei publicae saluti quam maxime proficuas, ferret. 1) Nulla unquam res, etiamsi esset grauiissimi momenti, eum impediuit, quo minus Musas humaniores fauore prosequeretur, beneficiis exornaret, patrocinio adiuuaret, earumque amicos, quos inter ipse principem obtinebat locum, tam e remotis regionibus adduceret, quam etiam summa cum clementia foueret. 2) Maximo pietatis ardore claruit, veram re-

1) Testantur hoc cum EGINHARTO, de Vita Caroli M. Cap. XXX. scribente: Omnium nationum, quae sub eius ditione erant, iura, quae scripta non erant, describere ac litteris mandari fecit, cuncti fere, qui Caroli M. historiam litteris consignarunt, scriptores, & praecipue Capitulare Carolinum, quod exhibet BALUZIUS Tom. I. p. 189. Vide fis quoque ILLUSTRISSIMI COMITIS a BÜNAU Teutsche Kayser- und Reichs-Historie, Part. II. Lib. II. p. 326. GODOFR. HECHTII Germaniam S. & litteratam, P. II. L. II. Cap. VIII. p. 110.

2) EGINHARTUS Cap. XXV. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque, quidquid vellet, apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, sed & peregrinis linguis ediscendis ope-

ram impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut aequae illa, ac patria lingua, orare sit solitus: Graecam vero melius intelligere, quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam didascalum munus subiisse, appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum, diaconum senem, audiuit, in caeteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit: apud quem & Rhetoricae & Dialecticae, praecipue tamen Astronomiae ediscendae plurimum & temporis & laboris impendit. Discebat & artem computandi, & inten-

religionem longe lateque promouere conatus. Et, ut paucis multa dicamus, merita ipsius in rem sacram tanta sunt, quanta, quum maxima sint, esse solent. His etiam potissimum caussis scriptores adducti videntur, ut omnes fere, tum, qui eodem tempore vixerunt, & antiquiores, tum recentiores in eo laudando ac praedicando consentiant. 3)

Quid? quod, hae eius virtutes

*tione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur.*

MONACHUS EGOLISMENSIS: *Carolus Roma artis grammaticae & computatoriae magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium litterarum expandere iussit. Ante ipsum enim Dominum Regem Carolum in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium.* Conf. b. JO. HEUMANNI, *Acti Altdorfini, Commentar. de re Diplomatica Imperatorum ac Regum Germ. Cap. II. §. LVIII. p. 109.* HECHTIUS *l. c. P. II. L. II. C. III. p. 105.* & qui de eruditione Caroli M. eiusque meritis in rem litterariam data opera *Dissertationem* scripsit, JO. HENR. BOCRISIUS, *Suinfurti, 1726.* quique maiorem in hoc argumento laudem consecutus est, b. JO. DAU. KOELERUS, *Comment. de*

*Bibliotheca Caroli M. ad EGINHARTI de vita eiusdem Cap. XXXIII. Altdorfii, 1727.*

- 3) Qui CAROLI M. Historiam tradunt scriptores, prolixo Catalogo exhibentur a b. FABRICIO *Biblioth. Latinae med. & inf. aet. Lib. III. p. 959. sq.* & JACOBO le LONG, *Biblioth. historique de la France, Liure III. Chap. III. §. 2.* EGINHARTI coaeui scriptoris, *Commentatio de Vita Caroli M. recentius, Anno 1755.* edita *Gröningae* cum annotationibus GERH. NICOLAI HEERKENS. Ad uniuersam Caroli Historiam pertinent quoque *Histoire du regne de Charle Magne, par Mr. Bruere, Paris 1745.* & JO. MICH. HALLWACHSII *Diss. Carolus M. Franciae Rex, huius historia varii generis obseruationibus illustrata. Tübingae 1734.*

tutes effecerunt, ut vel a posteris inter diuos sit relatus, honor-  
que diuinus ipsi a suis exhibitus. 4)

## §. II.

At vero, quo ductus fuit Carolus, pietatis studium, mul-  
torum in suspensionem incidit longe grauissimam. Accusatur ille  
quidem fictitiae sanctitatis; immo sunt, qui autumare non dubi-  
tant, eum pietatis verae & religionis Christianae, in omnium ani-  
mis disseminandae, speciem tantum prae se tulisse; quo prius fa-  
cilis optatam captatamque, fines imperii sui proferendi, at-  
que ita, ad quam trahebatur, regnandi cupiditati satisfaciendi,  
datam nancisceretur occasionem: 5) quod quidem iudicium, non  
omnino veri specie profus carere, nobis videtur. 6) Nihilo tam-  
men

4) Videatur hic *Summe Reue-  
rendi WALCHII*, Theologi  
Göttingensis, Libellus singula-  
ris: *Historia canonisationis  
CAROLI M. Jenae 1750.* &  
conf. *Illustriss. Com.* a BÜNAU  
l. c. p. 620. b.

5) CAROLUS GOTTLIEB  
HOFFMANNUS *dissertatione*,  
quam SCHURTZFLEISCHII  
*Fundamentis Historiae Germ.  
mediae* praemisit, *de pietate  
Caroli M. qua in conuersione  
Saxonum ad Christianorum Sa-  
cra usus est*, praecipuo studio  
pietatem CAROLI suspectam  
reddere ausus est. Nec de-  
sunt alii summi nominis Viri,  
qui CAROLI pietatem ad

fraudem compositam pronun-  
tiant, v. g. b. STRUUIUS  
*Corp. Hist. Germ. Periodo IIII.  
S. I. §. 9.* HOFFMANNI tam-  
en obtrectationibus obuiam  
iuere, b. FABRICIUS *Salut.  
Luce Euangelii*, p. 425. & S.  
reu. a SEELEN, *Vir nobis mul-  
tis nominibus colendus, prob!  
nuper pie defunctus, Hypomme-  
mate ad Eginharti vitam Caro-  
li M. p. 10.* nonnullique alii.

6) Consentit nobiscum aequus  
meritorum Carolinorum iu-  
dex, laudatus modo WAL-  
CHIUS, *dissiteri se haud posse*,  
inquiens, *Carolus non sine  
caussa vocari in suspensionem*,  
*quod religione Christiana ad*



men minus concedendum est, Carolum rei sacrae Christianorum variis modis & rationibus utilitates atque incrementa attulisse, eamque ob causam merita, in eandem insignia, toti orbi Christiano memoriam ipsius reddere sanctam & omni aestimatione multo dignissimam. Atque haec quidem sunt, quae pertractare, latiusque & clarius exponere his paginis decreuimus.

### §. III.

Hoc autem acturi, paginarum angustiis huiusque dissertationis scopo prohibemur, Caroli merita in rem litterariam, eiusque ciues, quae dubio procul exstant euentissima, quo minus pluribus exsequamur, licet ex honore, litteris ab ipso habito, cultisque eruditionis partibus non leuia coetum Christianorum incrementa cepisse, nemo facile negauerit. Praetermittimus etiam silentio, eum monasteria in gratiam eruditorum fundasse, ludos litterarios, iuuentutis scientiis erudiendae ergo, exornasse, episcopos, ut inferioribus doctoribus atque auditoribus optimo essent exemplo, instituisse, aedes sacras, ad congregandos ac sanctioribus doctrinis imbuendos piorum coetus, exstruxisse, id quod illum varie atque in permultis ciuitatibus exsecutum fuisse, liquido constat. 7) Omittimus quoque, quae praedicatur, ipsius erga egenos liberalitas, qua motus, magnam bonorum suorum, quae moueri poterant, partem pauperibus, & qui afflictas fortunae erant, Testamento reliquit, 8) siquidem istiusmodi actiones, laude sua licet non defraudandae, de

A 3

verae

*proferendos imperii fines abusus fuerit, & sic porro. Vid. Hist. Canonis. Carolinae §. XX.*

p. 71.

7) *Vid. Illustriss. a BüNAU, l. c. P. II. Lib. II. p. 404. 421. 446. 464. 498. alibique passim. b. HEUMANNUS l. c. C. II. §.*

LVIII. p. 109. HECHTIUS, l. c. C. VII. p. 109. STRUUIUS, l. c. & §. X.

8) Cuius tabulas BALUZIUS exhibet, *Capitular. Tom. I. p. 488.* & ex eodem b. HEUMANNUS, l. c. p. 433. Conf. & Comes a BüNAU l. c. p. 603. seq.

verae religionis & rei Christianae emendandae studio ieiunum tantum leueque testimonium ferunt.

### §. III.

Quod sollicitum maxime, & per omnem vitam occupatum tenuit Carolus M. Saxones fidei Christianae principiis imbuendi studium, cui septima tandem contra eos suscepta expeditione satisfecit, 9) quod & ad insignia Imperatoris in rem Christianam merita referri solet, plenior paullo considerationem requirere videtur. Quum gens Saxonica Francis finitima, & potentia & virtute & gloria fere aequalis esset, Carolus, populi sui voce incitatus, libertatem ipsius diutius ferre nolens, iugum, si fieri posset, illi imponere, secum constituebat. Ne itaque bello, propterea mouendo, iustus deesset titulus, nunc Saxones ferociae, quae vero in eo tantum consistebat, ut, teste SCHURTZFLEISCHIO, 10) seruitutem recusarent, libertatem fortissime defendentes; nunc perfidiae, quam VITECHINDUS CORBEIENSIS, fide dignissimus auctor, Francis pari ratione tribuit; 11) nunc superstitionis nimiae, cuius tamen amor vicinis nihil mali minabatur, 12) a Francis, ut EGINHARDUS, partium sane Francicarum studiosissimus, memoriae prodidit, 13) arguebantur. Atque hae causae, Saxones bello laceffendi, tunc temporis habebantur grauissimae, iisque nixus Carolus M. primos impetus in fines illorum fecit. Protractum fuit per vices, variaque fortuna ad tricesimum tertium usque annum immane bellum, donec tandem Carolus, Saxonum multitudine, per Gal-

9) De quibus GOTTFR. TH. LUDWIG in *Historia Saxoniae, a Francis subiugatae, regnante Carolo M. Lips. 1724.* egit. Add. STRUUIUS l. c. §. XIII. seq.

M. §. X. n. f. quae in *Operibus Histor. polit. edit. Berol. XLIV. edit. Lips. XXX.* est.

11) *Annalium Lib. I.*

12) Vid. SCHURTZFLEISCHIIUS l. c.

10) *Disp. de WITTEKINDO*

13) *In vita Caroli M. C. VII.*

Galliam Germaniamque facta translatione, dispersa, 14) multisque durioribus legibus ad suscipiendum baptismum adactis, 15) aliis suasionibus propositisque praemiis atque muneribus allectis, uniuersam gentem sacris Christianorum vindicaret, quae sic, libertate tamen seruata, in unum cum Francis populum coaluit. 16) Quae vero, & sanae rationis & diuinorum oraculorum praecipis contraria, fidem sacram propagandi ratio quaestioni ansam praebuit: Num ista bene de re Christianorum Carolus M. meruerit? Ab utraque quidem parte disputatur; istorum vero, qui parum laudis gloriaeque ad Carolum propterea pertinere, iudicant, sententia, potioribus niti rationibus nobis videtur. HECHTIUS quidem, moratori animo Carolum fuisse, nec armis ad religionem Christianam Saxones compulisse, eosque non victos, sed liberos, Christianam religionem amplexos esse, pronuntiat, 17) sicque artibus istiusmodi usum fuisse Carolum, negare videtur: verum aduersatur huic, maximae apud ipsum Carolum auctoritatis & locupletissimus testis ALCUINUS, 18) quem ipsum isthaec peruersa ad fidem homines impellendi ratio male

14) Leg. JAC. SCHUBACKII  
*Diss. de Saxonum transportatione sub Carolo M. facta, Praef. b. KOELERO, Göttingae 1748. edita.*

15) Quae exstat in BALUZII  
*Capitul. reg. Franc. Tomo I. 252.*  
*„Si quis deinceps, in gente Saxonum inter eos latens, non baptizatus, se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contemserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.“*

16) Prolixiorem belli Carolino-Saxonici historiam, a scopo

nostro abludentem, haud damus, quam latius persecuti sunt, *Illustriss.* a BÜNAU l. c. P. II. L. II. HECHTIUS l. c. P. II. L. I. Cap. VII. ad Cap. X. STRUUIUS l. c. §. XIII. ad XXII.

17) l. c. Cap. VIII. & VIII.

18) Apud WILLIELMUM MALMESBURIENS. *gest. Angl.* L. I. c. IV. *Antiqui Saxones, & omnes Fresonum populi, instante Rege Carolo, alios praemiis, & alios minis sollicitante, ad fidem Christi conuersi sunt.*



male habuit, 19) quare recte cum ipso consentiunt Historici circumspetiores. 20)

### §. V.

Etsi vero cuncta haec fallacia minusque congrua reputemus, quibus Caroli in rem sacram merita probari possint, documenta, sunt tamen certiora his euidetioraque, quibus tutius sineque oppositi formidine ista confirmantur. Pertinet ad illa in primis

19) In epistola ad Antistitem AQUILAM data, Idcirco miseram Saxonum gentem toties baptismi perdidisse Sacramentum, scribit, quia nusquam habuerit in corde Sacramentum.

20) *Illustriss. Comes a BüNAU*, l. c. p. 375. *Mann kann also wohl sagen, wie ein alter Scribente diese Worte gebraucht, daß die alten Sachsen, imgleichen die Friesen, auf König Carls Veranstaltungen, theils durch Geschencke, theils durch Drohungen, und, wie man noch hinzusetzen kann, theils mit Gewalt zum Christlichen Glauben bekehret worden. Wie weit aber diese Art der Bekehrung dem Sinn Christi gemæß, mögen andere entscheiden.* b. STRUUVIUS, l. c. §. VIII.

*scribens: Neque tamen exinde verae pietatis cultus demonstrabitur, quum potius omnes eiusdem (Caroli) actiones de ipsius ambitione testentur, atque cupidine dominantis, quae etiam bellum Saxonum concitavit, si quid praeterea ex prudentia factum fuit politica. Episcopatus vero & scholas instituit, minime ex pio zelo, sed potius, ut feroces mitigaret Saxonum spiritus.* b. a MOSHEIM *Instit. Hist. Eccles. p. 510. S. r. WALCHIUS Hist. Can. Car. M. §. XX. p. 72. aliique. Singularem etiam studio hunc locum persecutus est, Celeberr. JO. FRIDER. HILLERUS, Phil. Vitembergensis. Dissert. & Schediasm. de Saxonibus Christo subiectis, Vitembergae editis 1741. & 1746.*

mis cura, quam quidem in doctrinae Euangelicae veritate & puritate retinenda semper posuit. Testis illius est notissima, quae ista aetate in disceptationem venit, Feliciana controuersia. FELIX namque, natione Hispanus, Episcopus Urgelitanus, ab ELIPANDO, olim discipulo suo, nunc Episcopo Toletano, consultus, num Christus secundum humanam naturam verus Dei Patris filius habendus sit, num tantummodo adoptiuus? aut imperitus doctrinae, aut imprudens, aut noui cupidus eo adducebatur, ut prius negaret, posterius vero contenderet. Is autem error, in quem FELIX primus, atque eius sententiam adprobans, ELIPANDUS inciderant, non diu reconditus mansit, sed, ut plerumque, si quid noui protruditur, fieri solet, haud paucos, qui ADOPTIANORUM propter ea nomen consequebantur, inuenit amicos, latiusque serpsit. Accessit ad hoc, quod uterque eruditione sua in Ecclesia magnam sibi conciliauerat auctoritatem, morumque probitate & vitae integritate apud omnes conspicuus habebatur. Quae res quum ad Caroli aures esset perlata, FELIX in Synodo Ratisbonensi, A. 1000. celebrata, adesse ab Imperatore iussus, a praesentibus Episcopis sui erroris conuictus euasit, missusque deinde & Romam & Ratisbonam, ubi errorem suam publice professus est, sollemnique formula eiurauit. Sed quamprimum in Episcopalem semet sedem receperat, consilium mutauit, ac pristinum errorem fouit. Anno itaque Christi 1000. Concilium illud Celeberrimum Francofurtense iussu auspiciisque Caroli congregabatur, ut tota controuersia tandem finiretur. Aderat huic ingens principum atque illustrissimorum Episcoporum, ex Hispania, Gallia, Italia & Germania vocatorum, numerus; THEOPHYLACTUS ac STEPHANUS, Pontificis Romani Legati, & qui uniuerso huic coetui praesidebat, ipse Rex Carolus, ac statim doctrina FELICIS examini subiiciebatur. Paulo ante, quam haec agebantur, Carolo ab ELIPANDO, FELICIS affecla, scriptum apologeticum traditum erat, quo ille sententiam suam argutiis philosophicis stabilire conabatur, sibi que certissime omnium Episcoporum adensum promittebat, dummodo illis mentem suam libere pronuntiare liceret. Jungebat preces, ut

Carolus hocce scriptum confestim publice proponi fineret, ipseque adesset, quo haud secundum praeiudicatas opiniones, sed potius secundum ius atque aequitatem iudicium ferretur. Utrumque quidem concedebatur, nihilo tamen secius doctrina ipsius, tamquam haeresis maxime damnosa, a Concilio damnabatur. Qua de re ipse Carolus amplissimis litteris ELIPANDUM certiore fecit, eumque admonuit, ut latae semet sententiae subiiceret, cumque reliquis Hispaniae Episcopis, Romanae, Gallicae, Germanicae atque Italicae ecclesiae rursus coniungeret. Erant praeterea his litteris cuncta Concilii Acta cum refutatorio Episcopi Aquileiani scripto, cui omnes, qui aderant, Itali Episcopi nomina sua subsignauerant, addita. Quum vero, qui congregati erant, Doctores nulli dubitarent, fore, ut FELIX atque ELIPANDUS, proscriptione indicta deterriti, resipiscerent, a muneribus Ecclesiasticis ipsos excludere differebant. At vero & Regis auctoritas, & Concilii minae frustra adhibebantur, quod quidem exinde patet, quod ista controuersia per aliquos adhuc annos subsequentes fuit agitata. ALCUINUS alique Viri Eruditi, iubente Carolo, contra FELICEM calamum strinxerunt, eumque erroris conuincere, sedulo nauarunt. ELIPANDUS vero, ad ALCUINI scriptum quaedam reponens, in peiores ruit errores, ab ALCUINO manifestatos. Neque hoc modo exorta tolli poterat controuersia, quare Carolus per LEONEM, summum tunc temporis ecclesiae Romanae antistitem, anno post Christum natum MDCCLXXXVIII. Romae Concilium conuocandum curauit, a quo sententia, quam Episcopi Francici Ratisbonae ac Francofurti contra hos doctores pronuntiauerant, confirmata, ELIPANDI apologeticum scriptum igne deletum, ipseque ab ecclesiae communione exclusus fuit. Quibus in Gallia cognitis, Carolus LAIDRADO ac NEFRIDIO, Lugduni & Narbonae Episcopis, nonnullisque aliis imperauit, ut FELICEM, ad se vocatum, iteratum Concilii iudicium docerent, eique delati officii priuationem minarentur. FELIX, etiam haec negligens, ut coram Rege loqui sibi liceret, postulauit, posteaque se dicto Regis obedientem futurum, pro-

promisit. Damnatus etiam sui voti, eodem anno Regem, Aquisgrani Synodum celebrantem, adiit. Colloquium ibidem inter FELICEM, aliosque Episcopos de doctrinis, quae in controuersiam venerant, habebatur, quo finito, FELIX, errorem suum professus, quae ediderat scripta, reiecit, confessionemque fidei orthodoxam pronuntiauit. Verum mox aliam induens mentem, ad veteres errores delapsus, demumque dignitate Episcopali exutus, Lugdunum in exsilium missus fuit, ubi vitam finiuit. ELIPANDUS denuo scriptis contumeliosis in ALCUINUM est inuectus, ad quae hic fusius respondit. Tandem & ELIPANDI, errorem agnoscentis, morte infecuta, omnis haec controuersia, quae maximis ecclesiam turbis vexauerat, sopita, 21) quae aperte luculenterque CAROLI MAGNI in tuenda doctrinae Euangelicae puritate curam sollicitudinemque commonstrat.

## §. VI.

Non minoris sunt habendae, quibus CAROLUS M. nefando imaginum cultui, Iconolatrarumque ausibus obuiam iuit, curae, quae quum ex illusterrimis pateant documentis, paullo amplius de iisdem commentari, nobis licebit. Erat haec altera, quae

B 2 in

21) Quam paucis complecti verbis studuimus controuersiae huius historiam, qui prolixius expositam legere cupit, praeter historiae ecclesiasticae scriptores, adeat b. DORSCHAEI, *Theologi Rostochiensis, Collationem ad Concilium Francofurtense*; TRELLENDI & KOCHII *Dissertationes de haeresi Feliciana*, in VOGTII *Bibliotheca Haeresiologica, Tom. I.*

*Fasc. 2. CALIXTI Dissert. de eadem haeresi, Illustriss. Com. a BÜNAU, l. c. P. II. L. II. p. 477. seq. &*, quae potissimum commendari meretur, *S. reu. WALCHII, Theologi Göttingensis, Historiam Adoptianorum*. Scripta, quibus haec tractata fuit controuersia, eristica, recenset b. FABRICIUS, *Bibl. Lat. med. & inf. aet. Vol. I. & II. loc. congruis.*



in Concilio Francofurtano disceptata fuit, caussa. Quae nempe propter usum historicum initio introductae in templa fuerunt, imagines, quod ante quartum post natum Salvatore[m] saeculum non euenisse constat, 22) mox superstitioni, quin idololatriae ansam praebuerunt, fidei genuinae perniciosissimam, immo ecclesiae, praesertim Orientali, funestam, postquam LEO ISAURUS, imagines ex sacris locis eiici deturparique, 23) ipsiusque filius, CONSTANTINUS COPRONYMUS, a septima Synodo Constantinopoli coacta, omnem imaginum venerationem usumque deuoueri iusserant. Ast, quae post CONSTANTINUM rerum potita IRENE, iconolatriae fauens, nouum A. MDCCLXXXVI. adornabat concilium, quod, quoniam iconoclastarum furori cedere, & Constantinopoli relicta, Nicaeam se recipere adigebatur, Nicaenum secundum audit, quodque imaginibus Sanctorum *τιμητικὴν προσκύνησιν*, sine tamen *λατρεία*, exhibendam esse decreuit, cuius decreti exemplar Romanam fuit transmissum. Dum in Orientis ecclesia ista peragebantur, in Occidentali Antistites Romani, qui inde a GREGORIO II. sedem Romanam occupabant, cultum imaginum sua auctoritate fulcire nitebantur, & HADRIANUS I. praesertim proceres occidentalis imperii, missis ad ipsos decreti Nicaeni exemplis, ut ab uniuersa ecclesia idem reciperetur, sollicite studioseque tentabat, 24) licet Ma-

22) Vid. BINGHAMI *Origines eccles. Vol. III. p. 296. seqq.*

23) Non possumus non mirari, lepidam illam de duobus Iudaeis, Imp. LEONI iconomachiam suadentibus, fabellam a JOSEPHO BARRIO *in der allgemeinen Geschichte von Teutschland Tom. I. p. 854.* esse repetitam, quum dudum eandem exploserint SPANHE-

MIUS, *Historia imaginum rest.* p. m. 46. aliique.

24) BARRIUS, decreti Nicaeni auctoritatem defensurus, l. c. p. 855. Romanum antistitem istud ex graecolatine versum ad occidentales Principes misisse, tradit. Verum secum ipse non satis constare videtur, dum statim Galliae Germaniaeque eruditos ignoran-

Magnus ipsorum praedeceffor GREGORIUS, imaginum adoratio-  
nem omnino, 25) cumque ipso omnis ecclesia Occidentalis, impro-  
bauerant. Ad se quoque perlatas HADRIANI admonitiones ae-  
grius CAROLUS M. ferebat; utpote receptae in ecclesia Francica  
doctrinae contrarias. 26) Publicabat propterea quatuor aduersus  
Synodum Nicaenam libros, quibus acri censura eamdem excipie-  
bat, 27) post ad HADRIANUM P. M. missos, cumque coacto

B 3

paullo

tiae graecarum litterarum ar-  
guit, qua decepti, genuinum  
decreti Nicaeni sensum haud  
cipientes, imaginibus prae-  
standum cultum, προσκύνησιν,  
a cultu Dei, λατρεία non di-  
stinxerunt. Quodsi enim grae-  
ce adeo indocti fuerunt occi-  
dentalis ecclesiae proceres,  
prouti eosdem BARRIUS si-  
stit, istius tamen circa decre-  
tum Nicaenum erroris culpa  
non in ipsos, verum in HA-  
DRIANUM, P. M. eiusque cir-  
ca translationem Latinam  
ἀβλεψίαν incuriamque cadet.  
Neque vero occidentales eru-  
ditos, istius aevi, in uniuersum  
omnes, tanta graecarum  
litterarum ignorantia laboras-  
se, illi persuadebit BARRIUS,  
cui scripta monumentaque il-  
lorum, e. g. excitandos mox li-  
bros Carolinos, aliosque, in-  
spicere licuit.

25) Quum SERENUS, Massilien-

sis Episcopus, in imagines sa-  
cras impetum faceret, ita ad  
eundem GREGORIUS M.  
*Epistolarum Lib. IX. Ep. CV.*  
*Qui eas adorare vetuisses, om-  
nino laudauimus, fregisse  
vero reprehendimus; & Lib.*  
*XI. ep. XIII. Zelum vos, ne  
quid manufactum adorari pos-  
set, habuisse, laudauimus, sed  
frangere easdem imagines non  
debuisset, iudicamus. - - -*  
*Tua ergo fraternitas & illas,  
(imagines) seruare, & ab ea-  
rum adoratu populum prohi-  
bere debuit, quatenus & lit-  
terarum nescii haberent, unde  
scientiam historiae colligerent,  
& populus in picturae adora-  
tione minime peccaret.*

26) Sic in Synodo Gentiliaca  
imaginum cultus prohibitus,  
A. 1000. Vid. SPANHE-  
MIUS l. c. Sect. III. §. 14.

27) De Libris istis Carolinis, pro-  
uti ut plurimum audiunt, vel



paullo post A. 1500LXXXIII. Francofurti Concilio genera-  
li

*capitulari Caroli aduersus Synodum Nicaenam*, prouti ex more istius aevi propterea dicuntur, quia in capita diuisi, prolixam hic neçtere historiam, superfluum foret, quum paratu hodie non admodum difficilis sit illorum editio, quem sub *augustae Concilii Nicaeni II. censurae* titulo, Hanoerae 1731. curauit S. ven. HEUMANNUS, eiusdemque praemissa praefatio, quidquid de operis huius auctore, factis, editionibusque variis scire interest, luculenter exponat; cui iungendi b. FABRICIUS *Biblioth. Lat. med. aevi Vol. I. p. 943.* SPANHEMIUS l. c. Sect. VII. DALLAEUS l. c. Lib. III. Cap. II. III. & IIII. CHRIST. NIFANII *Carolus M. veritatis Euangelicae Confessor*, p. 83. *sqq.* b. JO. HEUMANNUS *de Re Diplomatica Imper. & Reg. Germ.* Cap. II. §. LVIII. p. 111. Errare, qui fictitios eosdem & recentiori aeuo productos esse, perhibent, docet cit. praef. §. II. XVII. XVIII. & quae pariter huic editioni adicitur *dissertatio Critica de Caroli M. libro,*

p. 79. ad p. 83. quam HEUMANNUS ex editione operis Carolini, quam §. XVI. laudauit, desumptam, suae praefationi subiecit. Non vero non possumus hic monere, criticam hanc dissertationem, cuius auctorem ignorari, HEUMANNUS tradit, dubio procul ex DALLAEI *libro de cultu imaginum*, partim in epitomen redactam, partim quoad singulas voces esse descriptam, id quod cuiuslibet patet, qui priora quatuor Libri quarti capita euoluerit. Quae enim inde a §. II. *Dissertationis Criticae* leguntur, ea DALLAEUS exhibet inde a Cap. II. ad finem fere Cap. IIII. Conf. DALLAEI *ed. Elzeuiriana* 1700 1701 XXXII. a pag. 368. ad p. 460. Ex quo simul constat, editionem operis Carolini, cuius HEUMANNUS §. XVI. *praef.* meminit, quaeque sine loci annique impressionis mentione prodiit, post annum 1700 1701. demum publicae luci fuisse expositam. De vero librorum eorumdem auctore discepta-

runt dudum inter se eruditi, quam definitam iri litem, vix sperandum. In condendis his libris aliquas ipsius CAROLI M. fuisse partes, eumque uniuersos pro suis agnouisse, argumenta firmissima docent, in citata HEUMANNIANA *praefatione* §. XVII. XVIII. & *Dissertatione Criticâ* p. 80. ad p. 93. legenda. Quibus accedit, quod SPANHEMIUS l. c. p. 451. ex MEZERAEO allegat, *Carolus annum 1000. Wormatiae transegisse, sine ulla expeditione militari, non alia occupatione, quam in litterarum studio*; quod circa tempus Libri Carolini conditi, teste praefatione ipsis praemissa, fuerunt. Quod Sorbona Parisina A. 1010. LXXV. singulari libello contenderit, ipsum Carolum istud opus composuisse, HEUMANNUS *cit. Praef. §. XVIII.* ostendit, licet, istam sententiam vix amplexurum esse quemquam, iudicemus, qui ipsos Carolinos Libros penitus perlustrauerit. Haud enim quisquam, tantam terminorum technicorum, quibus Rhetores Philosophique adfueti sunt, tantamque doctorum ecclesiasticorum noti-

tiam, quantam uniuersum fere hoc opus spirat, Carolo M. fuisse, sibi persuadebit. Recte hinc cum aliis b. a MOSHEIM *Instit. Hist. Eccles. p. 311. nota f.* litterati alicuius hominis opera in condendo ipso Carolum usum fuisse, coniecturam facit. Fuisse eundem ALCUINUM, plures autumant, a Ven. HEUMANNO *Praef. cit. §. XXVI.* allegati, cum quibus sentit *Illustriss. Comes a BüNAU* l. c. Tom. II. p. 490. cui tamen coniecturae b. a MOSHEIM l. c. subscribere dubitat, quoniam ALCUINUS inde ab Anno 1000. LXXXVIII. ad Anno 1000. LXXXII. in Anglia egit, quo temporis spatio opus istud elaboratum esse creditur. Pontificiis bilem mouisse huius Libri publicam editionem, a TILIO, *Episcopo* postremum *Meldensi*, curatam, quiuis facile suspicabitur, quare & legi eundem non solum prohibuerunt, vid. HEUMANNUS *cit. Praef. §. XI.* verum &, quum suppressere prorsus non liceret, varia ipsi obiecerunt, a quibus tamen viri, eruditione clarissimi, eundem vindicant. vid. a BüNAU l. c. p. 490. sqq. Atque hodie haud in-



li 28) communicabat. Atque in isthoc Concilio auctoritate auspiciisque Carolinis, iconolatria damnata, Synodoque Nicaena repudiata, Libri Carolini ab uniuersa fere Occidentali ecclesia, fremente licet Antistite Romano, eiusque praesente in Concilio Legato, approbati, publicumque CAROLUS M. orthodoxiae, piique pro doctrinae caelestis veritate zeli testimonium tulit, 29) argumentorum quidem, in Libris Carolinis obuiorum, si quid recte iudicamus, robore grauitateque nixum. 30)

§. VII.

- uenietur, qui, nisi pro ipsius Caroli, tamen adprobato ab ipso susceptoque opere, libros istos non reputauerit. vid. DALLAEUS l. c. L. III. C. III.
- 28) Historiam illustris huius Concilii DORSCHAEUS l. c. descripsit, & non pauci alii, qui vel Ecclesiasticam Historiam, vel Imperii Ciuilis fata litteris consignarunt, quos excitat *S. rev. WALCHIUS in der Historie der Kirchenversammlungen* p. 485. nota 3.
- 29) Testantur eandem praeterea nonnulli canones huius Concilii, quos omnes habes in BALUZII *Capitular. Reg. Franc. Tom. I. p. 261. v. g. Can. XXXVII.* quod, qui recentiori aeuo inter Diuos relati sunt, non sint adorandi; Can. *LII.* errorem illorum, qui, non nisi tribus linguis Deum colendum esse, volunt, redarguens, & alii.
- 30) Non defuere iam olim, qui contenderent, Carolum M. ad repudiandum imaginum cultum, minuendamque Synodi Nicaenae auctoritatem, non veritatis vi, sed odio Graecorum fuisse permotum, atque propterea ecclesiam occidentalem, in Concilio Francofurtano congregatam, iconolatriae fuisse aduersatam. Recentius idem defendit BARRIUS l. c. p. 856. sed occupauit iam dudum istiusmodi obtreccationes SPANHEMIUS *l. c. Sect. VII. §. 7. p. m. 477.* Et qui ipsos Libros Carolinos euoluerit, facile reperiet, argumentis, quibus iconolatria ibidem impugnatur, praesertim quae Libro II. continentur, tantam vim inesse roburque, ut adscitiis alienisque rationibus ad reiiciendam eandem haud indiguerit.

## §. VII.

Ad CAROLI M. curas, quibus puritati doctrinae Christianae prospicere annisus est, pertinent porro, quas ad defendendam stabiliendamque Spiritus S. a Patre & Filio processionem, solleter adhibuit, quae quippe doctrina isto tempore in dubitationem fuit adducta. Non est, cur longius huius litis originem historiamque repetamus, quum otium nobis dudum fecerit, *S. ven. WALCHIUS, Theol. Jenensis Celeberr.* 31) Nostro scopo sufficit notasse, quod, postquam ab antiquissima uniuersi Christianorum coetus sententia, quae, Spiritum S. a Patre & Filio procedere, adfirmabat, Graeci doctores defecerant, a Patre solo Spiritum S. procedere docentes, latinae ecclesiae doctores istum errorem aequo animo haud tulerint, verum, quo palam mentem suam de isthac doctrina profiterentur, in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano vocem FILIOQUE addiderint. Tractata fuit dein caussa tum in *Synodo Gentiliacensi A. 1500* xxxvii. 32) tum in *Nicaena A. 1500* lxxxvi. ubi TARASIVS 33) nouum dogma, Spiritum scilicet S. a Patre *per Filium* procedere, protruserat. Non ferebat CAROLUS M. ita veritatem caelestem illudi, quare forti animo calamoque naenias istas confutandas sumebat. Qua id ratione egerit, docent Libri antea citati Carolini, Libro III. cuius Caput III. 34) dis-

C

31) *Historia Controuersiae Graecorum Latinorumque de processione Spiritus S.* Jenae, 1751.

32) Vid. WALCHIUM l. c. p. 21.

33) Qui Consul Constantinopolitanus, & CONSTANTINO atque IRENAE a secretis, huicque familiarissimus & addictissimus, ab Imperatrice in locum PAULLI, Patriarchae defuncti, successus, quod ipsum

plures haud parum offendit, dum contra Canonum praeccepta laicus sacro officio admouebatur. Vid. *Lib. Carolini Lib. III. Cap. II. Edit. Heumann.* p. 265. Vitam ipsius, ab IGNATIO NICAENO versibus expressam, exhibent *Acta Sanctorum ad d. XXV. Februarii.* 34) *Edit. Heumannianae*, pag. 269.



disquirit: *Utrum Tarasius recte sentiat, qui Spiritum S. non ex Patre & Filio, secundum verissimam sanctae fidei regulam, sed ex Patre per Filium procedentem, in suae credulitatis lectione profiteatur.* Caput V. 35) docet: *Quod Tarasius non recte Spiritum S. contribulum Patri & Filio dixerit, quum sufficeret dicere coaeternum, consubstantialem, eiusdemque essentiae & naturae.* Cap. VIII. 36) denique, quo paene de omnium, in Nicaena Synodo congregatorum, fide ambigitur, quum Spiritum S. quidam a Patre tantum, quidam vero neque a Patre, neque a Filio procedentem, confessi sint. Neque in hoc acquieuit Caroli M. zelus. Quum enim Saeculo VIII. JOANNES, *Monachus Hierosolymitanus*, in regno Francico degens, Latinae ecclesiae doctores erroris propterea accusaret, quod processionem Spiritus S. a Filio docebant, Carolus A. 10 ccc VIII. Aquisgrani Concilium cogeat, cuius decreto purior doctrina stabiliebatur, utque magis ista propagaretur, THEODULPHUM, *Aurelianensem Episcopum*, *Librum de Spiritu S.* 37) componere non solum iussit, verum & per Legatos Romam missos, ad LEONEM III. P. M. litteras dedit, ab eodem impetraturus, ut additam Symbolo vocem: *Filioque*, publica auctoritate muniret. Quae cura, licet optato caruerit eventu, 38) ipsa tamen, & litterae Caroli M. 39) solidam & non vulgarem spirantes eruditionem, certissimum pietatis ipsius, studii-que in seruanda doctrinae puritate, praebent documentum.

## § VIII.

35) *Ibidem* p. 282.

36) *Ibidem* p. 295.

37) Edidit eundem JAC. SIRMONDUS, Paris. c1010cxxxvi. Insertus quoque *Biblioth. Patrum Maximae Lugdunensi*, Tom. XIV. p. 1.

38) Vid. WALCHIUM, l. c. p. 29. ad p. 32.

39) Edidit easdem primus LUC. HOLSTENIUS, ex *Mscro CHRISTINAE, Reginae Suae*, & insertae quoque *Tomo XX. Conciliorum Collect. Regiae* ad ann. 10 ccc VIII.

## §. VIII.

Occurrit adhuc aliud sollicitudinis CAROLI M. circa doctrinae caelestis veritatem stabiliendam exemplum, cuius mentionem faciendi commodus hic locus videtur. Consueuerant iam dudum scriptores ecclesiastici ex Iesaiæ XI, 2. septem, quibus a Spiritu S. pii adficiuntur homines, dona enumerare, unde frequenter *Spiritus septiformis, gratiaque Spiritus septiformis* nomina in istius & succedentis aevi monumentis & diplomatibus deprehenduntur. Proposuit circa hanc doctrinam CAROLUS M. quinque, celeberrimis tunc ecclesiarum praesulibus, quaestionem: *Num eadem gratia septiformis Spiritus, Christo cum ceteris piis fuerit communis; an potius inter dona, Christo concessa, & dona, quae fidelibus tribuuntur, intercesserit aliquid discriminis?* 40) ad quam quum minus apte responsum fuerat, Carolus suo nomine ad ipsos praesules epistolam direxit, 41) qua veriolem, doctrinaeque Christianorum magis congruam sententiam explicauit, pro uti *S. reu. WALCHIUS* citato iam schediasmate pluribus euincit. 42)

## §. VIII.

Qui puritati caelestis veritatis tantum studii impenderat, CAROLUM M. non minori cura in tuenda stabiliendaque ipsius, ex quo ista haurienda est, fontis, oraculorum nempe Diuinorum, auctoritate versatum esse, quilibet facile iudicabit. 43) Et uno  
C 2 plura

40) Exprimimus eandem verbis *S. reu. WALCHII, Goettingensis: qui Programme Pentecost. A. MDCCCLV. proposito, Caroli M. de gratia Spiritus septiformis disputationem, exposuit.*

41) Primus eandem ex codice Manuscripto edidit JO. MABILLONIUS, *Veter. analect.* Tom. III. p. 74.

42) Vid. p. 13.

43) De Caroli M. meritis in S. codicem, studioque eius bi-



plura sunt, quibus idem patet, documenta, quae omnia hic percensere, nimius, quem nostrae haud capiunt pagellae, labor foret. Quanta animi contentione illorum, qui addere Codici S. vel demere aliquid haud verebantur, cohibuerit ausus, variis in locis libri loquuntur Carolini; 44) reuerentiae, qua Sacras Litteras coluit, testes indubii. Ast ostendunt iidem simul, quod *b.* a MOSHEIM recte notauit, 45) Carolum Scripturae S. nimium tribuisse. Omnium namque scientiarum artiumque, Grammaticae, Artis dicendi, Poëseos, Dialecticae, Philosophiae, Arithmeticae, Geometriae, Astronomiae, Musices, Politices, Oeconomiae, Artis bella gerendi, aliarumque principia praeceptaque eadem contineri, superstitione magis, quam solide eum docuisse, constat. 46)

### §. X.

Non tuto satis ad Scripturam S. tamquam fidei doctrinaeque normam, prouocari, nisi de genuina eius veraque lectione constet, probe nouit CAROLUS, quare, ut exempla eius accuratissime describerentur, diligentissime curauit. Latae non solum ab ipso sunt propterea variae leges, quibus adhibendam in describendis codicibus curam mandauit; 47) verum & ALCUINO codices sacros, manu exaratos, corrigendi castigandique negotium dedit; 48) quin ipsum Imperatorem manum huic operi admouisse, monumenta loquuntur. 49)

Ca-

blico quaedam commentatus est *b.* a SEELEN in *Select. litter.* p. 252.

44) *Lib. I. Cap. V. edit. Heumann.* p. 44. Add. NIFANII *Carolus M. Euangelicae veritatis confessor*, Cap. I. p. 108.

45) *Instit. Hist. Eccles.* p. 305.

46) Legatur *Lib. Carol.* Lib. II.

C. XXX. *ed. Heum.* p. 231. seq.

47) E. g. apud BALUZIUM *Capit. ad annum 1000* CLXXXVIII. Tom. I. p. 237.

48) Vid. FABRICII *Biblioth. M. & J. L.* Tom. I. p. 137.

49) Testatur hoc praefatio, qua emendatum a PAUELO DIA-

Caroli M. vel iussu vel opera correcta emendataque summam dein in ecclesia nacta sunt auctoritatem, ut ad eadem *Dominicani Monachi* sua volumina emendauerint, quae maximo Criticorum S. plausu excepta. 50)

§. XI.

Haud male porro de Scripturae S. vera interpretatione meritus est CAROLUS noster. Probat id generatim finis, quem conscripturus libros de imaginum cultu in animo instituit, quibus quippe locorum Scripturae S. quos imaginum cultores atque adoratores in rem suam trahere erant conati, defensionem & vindicationem a detorsionibus miserisque deprauationibus suscipere potissimum laborauit, 51) & ingens praeterea numerus locorum, quibus perplexae iconodulorum interpretationes incondita quae ad stabiliendum imaginum cultum accommodationes notantur. 52) Quem in finem dictorum Scripturae, ab aduersariis allegatorum, genuinum sensum explanaturus, aliquando textum originalem cum interpretatione Latina confert, 53) aliquando varias, quae

C 3

CONO *Homiliarium* ecclesiis tradidit Carolus M. quam BALUZIUS Tom. I. p. 203. exhibet, cuiusque particula in HEUMANNI *de re Diplom.* p. 109. & BARRII l. c. p. 834. legenda. Testatur idem THEGANUS *de gestis Ludov. Imp.* Cap. 7. edit. *Pithoeanae p. m.* 299. scribens: *Quatuor Euangelia Christi in ultimo ante obitus sui diem cum Graecis & Syris optime correxerat. De codicibus ab ALCUINO*

aliisque CAROLI M. aetate scriptis vid. le LONG *Biblioth. Sacra* Tom. I. edit. *Boerneriana* p. 539.

50) Legatur hic b. JO. FRICKIUS *de cura ecclesiae veteris circa Canonem Scripturae S. Cap. III. §. 21. in Meletematibus variis* p. 145-146.

51) Vid. Praef. Lib. I. p. 6.

52) Vid. p. 11. 44. 63. 73. 90. 132. 147. &c.

53) V. g. Lib. I. Cap. XIII. p. 78.

terminis subiacent, notiones distincte euoluit, §4) aliisque Hermeneuticis regulis, quantum istius saeculi ratio ferebat, egregie usus fuit. Et, quamquam cum *b.* a MOSHEIM §5) lubentes fateamur, nimium aliquando Imperatorem indagando sensui recondito indulgisse; §6) tamen, quum ex istius aetatis more idem factum sit, tantum abest, ut Caroli circa interpretationem Scripturae merita deprimat, ut potius ostendat, ipsum interpretandi rationem, qua tunc eruditi delectabantur, cognitam sibi reddidisse perspectamque.

## §. XII.

Num CAROLI M. cura iussuque Scriptura S. in linguas vulgares, germanice praesertim, versa fuerit, numque ita meritis ipsius in rem sacram Germanorum maior accesserit cumulus? non adeo liquet, ut certi quid ea de re pronuntiare sustineamus. Equidem cultum sacrum vulgari lingua celebrari eundem voluisse, quo facilius cuncti, quae dicebantur, intelligere possent, firmissimo Concilii Turonensis III. testimonio probatur, §7) quod sine diuinorum oraculorum, lingua vulgari expressorum, usu, haud fieri potuisse, quilibet iudicabit. At vero, quum exstiterint ante Caroli M. tempora versiones Scripturae Germanicae, §8) easdem a Carolo fuisse curatas, tuto inde haud conicitur. Qui, curatam esse ipsius auspiciis versionem librorum sacrorum germanicam, contendunt, nullius vel coaeui, vel antiquioris scriptoris testimonio, verum rationibus nituntur dubiis omnino non superio-

§4) Lib. I. Cap. XXIX.

§5) *Instit. Hist. Eccles.* p. 305.

§6) Cuius praeter a MOSHELMIO allegata, lepidum exemplum exstat Lib. II. Cap. 30. p. 238.

§7) *Canone XVII.*

§8) De quibus vid. JO. FRID. MAYERI *Historia Versionis Germanicae Bibliorum* pag. 140.

rioribus, 59) & perisse eandem fatentur, 60) quare hac de re definire quidquam haud audemus.

### §. XIII.

Carolinis in rem sacram meritis optimo annumeramus iure constans Imperatoris studium, ne quid detrimenti sacra fides ex humanis traditionibus capiat, cauendi, impediendique, ne figmentis istiusmodi caelestis veritas obscuretur, Duxit inde praecipuum quoddam argumentum NIFANIUS, quo ostenderet, *Carolus M. non formaliter fuisse Papistam*, probe gnarus, arcem ita causae pontificiae inuadi, si constiterit, traditionibus oralibus antiquiori aeuo vel nihil, vel parum fidei fuisse tributum. Et de hoc quidem Carolus quam maxime sollicitus, atque canonicam Scripturae S. auctoritatem fortiter tuitus fuisse, aperta satis documenta testantur. Referimus huc ex Capitulari Aquisgranensi, Anno MCCCLXXXVIII, publicato, Capitulum LXXX, quo admonentur Episcopi, *ne sinant noua & non canonica aliquos ex suo sensu & non secundum Scripturas S. fingere & praedicare populo.* 61) Porro Libri Carolini idem demonstrant, dum mox Nicaenae Synodi decreta propterea reiiciuntur, quia in codicibus, ex veritate Hebraica translatis, non inueniuntur, quibus ista nitebantur; 62) mox, ad quas ibidem prouocatum erat, litterae Christi & Abgari mutuae, tamquam supposititiae, repudiantur, quia istarum nulla in Scripturis

59) Qui easdem cupit, videat JAC. LISSERIUM in *Hist. Dogm. de Scripturis Vernaculis*, p. 111. HÖTTINGERUM in *Biblioth. quadripartito*, Lib. I. Cap. III. KORTHOLTUM de *variis Scripturae editionibus*, p. 318. MAYERUM l. c.

p. 149. leLONG l. c. P. II. p. 174. FABRICIUM *Bibl. Med. & Inf. Latin.* Vol. I. p. 951.  
60) MAYERUS l. c. p. 157.  
61) Allegatum a b. HEUMANNO de *re Diplom. J. & R. G.* C. II. p. 42.  
62) *Lib. I. Cap. XII.*





ris mentio iniecta; 63) mox libris, quibus istiusmodi traditiones, pontificiis adeo probatae, continentur, fides omnis auctoritasque denegatur, 64) ut plura alia argumenta taceamus.

### §. XIII.

Qui tantam ex conseruata propugnataque caelestis doctrinae veritate gloriam consecutus est, CAROLUS M. non minorem operam impendit, quo externo cultui diuino suus constaret honor, omniaque decenter & ordine peragerentur, abusibus vero variis obex poneretur. Pertinent huc varii Capitularium Carolinorum loci, quibus debita cultui diuino reuerentia praecipitur; sacri ordinis viri vitam sobriam suoque munere dignam viuere iubentur; *clocas*, (campanas) sacro fonte tingere interdicitur; & eiusmodi plura. 65) Testantur idem variae Caroli epistolae, quibus ecclesiarum Praefules de Catechumenis ritibusque sacris interrogauit. 66) Porro euincit idem accurata dierum festorum, quam instituit, computatio definitioque, ubi notari meretur, haesisse aliquando Imperatorem, num festum assumptionis Mariae diem celebrare liceat? quare in Concilio Moguntiaco A. 1000. de eo quaestio proposita est, ventilataque. 67) Inprimis vero hic in testimonium venit Caroli cura, qua partim cantum Romanum, s. *Gregorianum* in ecclesiis

63) Lib. III. Cap. X. Simile exemplum habes in *Capitulari Aquisgranensi* supra citato, Cap. LXXVI. vid. HEUMANNUS l. c. p. 41.

64) Ibid. Cap. XI. & Cap. XII.

65) Qui nosse cupit, legat b. HEUMANNUM l. c. §. LII. p. 37.

66) Quales allegat HEUMANNUS l. c. p. 48. cui iungenda

*Fragmenta quaedam Caroli M. Imp. Rom. de Veteris Ecclesiarum ritibus ac caerimoniis*, a WOLFG. LAZIO, *eruta a tinea*, Antwerp. 1560.

67) Legatur, qui prolixè omnem causam enarrat, LAMBECIUS in *Diario Sacri itineris Cellensis* §. XXXXIII. p. m. 88. & §. LIII. p. 122.

fis Francicis, Gallicano cantu repudiato, adoptavit; 68) partim, PAULLI DIACONI opera usus, praecipuos antiquorum ecclesiae doctorum sermones colligi, inque ecclesiis recitari fecit, quae farrago *Homiliarii Carolini* nomen adepta est. 69) Quod Imperatoris institutum licet euentu caruerit optato, ipsius tamen sollicitudinem in promouenda augendaque rerum sacrarum notitia apertissime docet. 70)

## §. XV.

Qui puriorem euangelii doctrinam profitentur, facile nobiscum consentient, quando ad CAROLI merita in rem sacram etiam illud referimus, quod ius sacrorum strenue sibi vindicauerit, licet, crescentibus antistitis Romani opibus fastuque, eripiendi istud principibus cupido, pontificum animos occupatos teneret. Ast insidias istiusmodi cunctas Carolus forti animo destruxit, suoque exemplo successoribus praeluxit, quod utinam cuncti fuissent secuti. Nihil namque ipse neglexit, quo auctoritatem suam circa negotia ecclesiastica probaret, quod alii ex ipsa Caroli historia docent. 71) Unde simul conficitur, errasse cum aliis THOMASIVM, qui,  
D hie-

68) Vid. *Chronicon Gottwicense*, p. 55. 56.

69) De quo vid. b. a SEELEN in *Select. litter.* p. 252.

70) Quam parum feliciter istud Caroli consilium cesserit, ostendit b. a MOSHEIM l. c. p. 206.

71) Ex historia Conciliorum ipso regnante celebratorum, idem euincit S. reu. WALCHIUS in *der Historie der Kirchen-*

*versammlungen Lib. III. C. II.* §. 10. 13. 16. 17. Generatim vero, Carolum ius sacrorum exercuisse, ostendunt NIFANIUS in *Carolo M. veritatis euangelicae confessore*, Cap. III. & V. b. a MOSHEIM l. c. p. 201. 202. *Idem im allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten* p. 103. 106. in primis vero b. HEUMANNUS *de re Diplom. Imp.* §. LIII.

hierarchiam Romanae ecclesiae Caroli M. studio quam maxime fuisse promotam, argumentis parum idoneis adfirmat. 72)

### §. XVI.

Sunt adhuc alia, quibus CAROLI M. in rem sacram merita illustrari possent laudarique, specimina, quae tamen silentio praeterire paginarum angustia iubet. Probaret eadem mandatum Imperatoris, in comitiis Aquisgranensibus 1000CXIII. latum, de congregandis in variis regni ciuitatibus Synodis, quarum ad commodum ecclesiae tendentia consilia ipse Carolus sibi proponi iussit. 73) Et ex eo quoque pietatis Carolinae argumentum duci posset, quod is primus inter Francorum Reges annos ab incarnatione Saluatoris numerare coeperit, 74) si quidem certo constaret, grata Saluatoris memoria potius, quam Graecorum Imperatorum morem aemulandi studio excitatum, hanc computandi temporis rationem Carolum recepisse. Verum quum, quae adhuc a nobis disputata sunt, CAROLUM M. bene de uniuersa re sacra meruisse, satis euincant, plura non addimus, in pio, ut DEUS T. O. M. suam ecclesiam perpetuo tueatur augeatque, voto desinentes.

### T A N T U M.

- 72) *Historia contentionis inter imperium & sacerdotium,* 73) Vid. *S. reu.* WALCHIUS I. mox citato p. 510.  
*Cap. VI. §. 47. ad §.* 74) Vid. *Chronicon Gottwicense,*  
 52. p. 133.

### COROLLARIA.

- I. Jus principis circa sacra qui ex solo dominio ciuili, neglecto omni iure episcopali, deriuant, reique ipsius intelligentes sunt, de voce contendere, recte iudicat b. a MOSHEIM im allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten, pag. 150. seq. & pag. 559. seq.

II. Qui

- II. Qui vero ius episcopale principi propterea negant, quod Papo<sup>2</sup> Caesariam ita induci metuunt, praeter quod rei, de qua disceptatur, ignaros semet produnt, videant, ne in Caesaro papiam ruant, societati ecclesiasticae funestam.
- III. Qui actus intellectus diuini, siue scientiam, quae in Deo datur, ex discrimine obiectorum, dispescunt in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, recordationem, praeuisionem atque scientiam mediam, fundamento distinguendi non quidem destituuntur. Ast, qui ad designandos istos actus adhibentur termini, parum apti nobis idoneique videntur. Idem de aliis in theologiam naturalem adscitis terminis sentiendum.
- III. Ex eo, quod materia in infinitum diuidi nequit, materiam ex substantiis simplicibus, s. monadibus componi, haud sine vitio colligitur.
- V. Si quae res eruditos inter controuersa est, praestaret, argumenta, quibus ab altera parte pugnatur, sine omni auctorum suorum mentione exponi disputarique; ita namque caueri poterit, ne in rixas altercationesque, quae doctos viros dedecent, istiusmodi concertationes abeant.
- VI. In informanda ad humanitatem aetate puerili, alii a poëticis, a mathematicis exercitationibus alii initium capiendum esse, iubent. Neuter fallitur; utrumque enim praeceptum eadem rectaque nititur ratione.

---


EXIMIO DOCTISSIMOQUE RESPONDENTI,  
P R A E S E S.

S.

**D**um TE in cathedram Academicam comitor, NOBILISSIME SCHUCKMANNE, quod edis diligentiae doctrinaeque specimen, impense TIBI gratulor, & quod publice TE compellendi haec mihi data est occasio, vehementer gaudeo. Ex qua TU nomen ducis sanguinemque, GENS SCHUCKMANNIA, quae & ipsi



ipsi mihi *aviam* dedit, matronam, dum vixit, a cunctis veneratam,  
 tantis in patriam nostram cluet meritis, ut dudum iam, *anno sae-*  
*culi huius sexto, commentationem litterariam* de iisdem, ab erudi-  
 to orte plausu exceptam, conscripserit *b. parens meus*. Dedit illa  
 his terris summos rerum tum sacrarum, tum ciuiliū administros  
 praefidesque, quorum gloria late innotuit, quorumque posteri vel  
 nobilitatis dignitatem, vel eruditionis famam consequuti, adhuc nos  
 inter floruerunt. Atque vides hic, quos sequi, quorum debeas  
 implere vestigia. Neque, ex qua *matrem*, cui Deus faueat! na-  
 ctus es, RICHERZIA GENS, imaginibus caret virisque, qui ad  
 summum laudis & honoris fastigium pertigerunt. *Avum* venera-  
 ris, virum, cuius memoria sancte apud nos colitur, *b. CONR.*  
*RUD. RICHERZIUM, ecclesiae Buezzoviensis antistitem & prae-*  
*positum magnis meritis inelytum:* & vivum TIBI, idque optimum  
 & coniunctissimum exemplar contigit, *avunculus Tuus, vir sum-*  
*me reverendus, GEORGIUS HERMANNUS RICHERZIUS, sa-*  
*cri ordinis apud Lubecenses Senior venerabilis,* quem promerita ego  
 nunc prosequeretur laude, nisi quidem mutua animorum coniunctio,  
 quam a *beatis genitoribus nostris* hereditariam habemus, quamque  
 vel ab infantia intemeratam coluimus, id vetaret, pro cuius tamen  
 incolumitate pia hic vota solvo, precorque Deum, ut signata ea-  
 dem esse velit! Habes itaque, PRAESTANTISSIME SCHUCK-  
 MANNE, inter TUOS multos viros magnosque, quos imitandos  
 TIBI propono; licet enim TE stimulis non egere sciam, tamen  
 TUI caritas me evocavit, ut currentem quoque instigem. Neque  
 vero dubito, fore ut quam plures mecum de TE spem concepe-  
 runt, sis expleturus. Quam enim & in Rostochiensis quondam, &  
 hac nostra Fridericiana Academia, Doctoribus TUIS & mihi quo-  
 que praestitisti, sollertia, ipsaque praefens commentatio, in qua e-  
 laboranda magna versatus es assiduitate, TE ad laudem omnem do-  
 cturamque magno contendere studio, satis testantur. Cuius dili-  
 gentiae TUAE, atque ingenuae, qua praestas, probitatis, ut uberri-  
 mos felicissime capias fructus, sincere opto. Vale, mei memor!  
 In Fridericiana Buezzoviensi, d. xi. Cal. Decembr. c15 15 cclxii.
















solche verbotene handel, seint straffwürdig, und dem  
 unterworfen, dahin sie die Rüge-Männer bringen sollen:  
 Verbrechen und fast unzählig andere mehr, so wieder Gots  
 und die moralischen Gesetze streiten, so lange solche nicht  
 her ärgernuß, und thathandlung aufgebrochen, noch für  
 nal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch  
 für sünde gehalten, daher die Bosheit mehr und mehr  
 en, so dennoch durch die hülffe Gottes verhütet werden  
 dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der  
 erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüge-Richter hiebey aller bescheidenheit sich  
 en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbre  
 is menschlicher Schwachheit geschiehet, und durch ohnachts  
 gangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermen  
 e auch aus lauterm Vorsatz, und malitz geschehen, den  
 schaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb  
 rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und wür  
 erschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Ver  
 neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob  
 pflich wieder glaubhafte anzeige verneinen, ihre böse tha  
 ehen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und  
 n sich unternehmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder  
 e mehrmahls schon, in einem und andern Laster betroffen,  
 eret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an  
 nmmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh  
 arnach solche zulindern oder zuschärffen seyn wird;

auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gefenck  
 , und darauff erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem  
 Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die  
 g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, &  
 Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für  
 a zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bey  
 nali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Bänden, noch  
 schwerd geführet wird, wüste aber in Contumaces einige  
 nsfura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge,  
 ist

